MONUMENTA GERMANIAE

Cronica presulum et archiepiscoporum Coloniensium.[a]

Circa principium descriptionis cronice presulum sancte Coloniensis Agrippine[b] ecclesie restat advertendum, quod ipsa sancta civitas Colonia Agrippina, prout reperitur ex scripturis, ~~recepit fidem domini~~ ad predicationem beatissimi[c] viri sancti[d] Materni[1] recepit fidem domini nostri[e] Jesu Christi circa annum videlicet incarnationis domini 90.[f] Nam[g] sicut legitur in vita et legenda dicti sancti Materni beatus Petrus apostolus summi pontificii cathedram in urbe Roma[h] adeptus misit plurimos discipulos ad diversas orbis partes ad predicationem ewangelii[i] propagandam[k], inter quos misit ad Gallias beatos[l] tres viros, scilicet Eucharium[m] Valerium atque[n] Maternum, qui creduntur fuisse de numero 72 discipulorum domini. Qui beati viri venientes in Galliam primitus accesserunt ad civitatem Tungrorum[o], que tunc fuit populosior et maior inter alias illarum partium civitates. Sed dum in exortu predicationis prefatus[p] beatus[q] Maternus obisset,[2] alii duo discipuli de morte socii sue predicationis contristati reversi sunt Romam ad sanctum Petrum geste sibi rei ordinem exponentes. Qui confortans illos in fide tradidit illis baculum suum, quo ipse in proficiscendo tempore[r] sue senectutis utebatur, ut baculum ipsum imponerent super corpus defuncti socii et ipsum reciperent redivivum. Quo taliter facto

Vita s. Eucharii Act. S. Ian. II, 918.

gest. Tr. c. 26.

gest. Tr. c. 21.

1] Legendam s. Materni diligentissime examinarunt Koepke (Mon. SS. VII, 142), Waitz (ib. VIII, 111), Rettberg (Kirchengesch. I, 73), Friedrich (Kirchengesch. I, 86).

2] Vita s. Eucharii Valerii atque Materni (Acta S. ian. II, 918) eamque secuta gesta Trev. Maternum Elegiae in vico Alsatiae mortuum faciunt. Sed Godefridus Hagen chronista Coloniensis (Reimchron. ed. v. Groote vers. 90) de Colonia videtur cogitare.

a) et de baculo s. Petri add. 1. de b. s. P. add. 3. Cronica archiep. Col. 2. b) Agripine 2. c) sanctissimi 4. 4'. 4". d) sancti deest 3. e) nostri deest 2. f) lacuna in 2. g) Namque 2. 3. h) Romana 3. 4. 4'. 4". i) ewang. deest 4. 4'. 4". k) propagandis 1. propagandos 2. 4'. propagand. 3. propagandas 4 (corr. propagandum) et 4". l) beatos deest 2. m) et 4. 4'. 4". (m) Euch. scil. 4. 4'. 4". o) Tongr. 1. p) prefatus deest 2. q) domnus 4. r) tempore solus cod. 4.